



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Quæst. IV. Quonam processiones ab esentialibus actibus differant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

esse filium &c. licet hæc creatis accidentaliter veniant. Neque obest August. c. 105. Enchiridij, asserens, licet in Beatis non sit facultas arbitrij ad peccandum, non ideo libero arbitrio care re. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino servare non poterit peccato. Sumit enim ibi libertatem, prout opponitur servituti, & metui peccandi, non autem prout necessitati aduerfatur. Sed dices. Processio Spiritus sancti est per amorem: ergo, cum diuina sit, debet omni perfectione sui generis gaudere: at perfectio amoris est libertas: ergo debet habere libertatem. Argue precor sic contra necessitatem amoris Beatorum, de qua aiebat August. *Felix necessitas, quæ ad meliorem compellit.* Distinguo primam consequentiam omni perfectione sui generis, quæ non priuatur perfectione maiori, concedo; quæ priuatur perfectione maiori nego: & distingo similiter subsequens antecedens: negoque consequentiam.

4 Obiicit denuò. Concilium Sardicense & Concil. Sirmiente apud Hilar. lib. de Synod. in defensionibus professionum catholicarum contra Photinum defensionibus, quæ concilia anathematizant eum, qui dixerit Patrem naturali necessitate ductum, neque mox, ut voluit Filium genuisse: insuper qui dixerit non consilio, neque voluntate Filium genuisse. Extrema verba sunt Sardicensis Concilij: Respondetque Scotus, & bene, loqui de voluntate comitante secundum durationem, non autem præcedente, vel comitante originariè generationem. Prima Verba sunt Sirmientis Concilij, quod Arrianum, magna ex parte, fuit, ac proinde Arrianae sectæ errores sapit. Denique opponens S. Thom. Patrem, & Scholasticos plures asserentes Spiritum sanctum non procedere naturaliter, & per modum naturæ, sed per modum voluntatis: ergo liberè, seu à principio non determinato. Responde primò solum velle non procedere in similitudinem naturæ necessariam; ut Filius sit. Secundò non procedere proximè à natura, ut natura; sed ut voluntas est: ut supra contra Durandum ostendebamus.

5 Manet etiam ex dictis definitu facile; an processionem per intellectum aliquis voluntatis actus antecedat, vel comiteretur. Id est, an ad prius, vel idem originis, vel quasi originis signum aliquis voluntatis actus pertineat? Dicitur quasi originis: quia, licet non præcedat, ut causa, vel casualitas, aliquidque ex parte causæ requisitum ad processionem per intellectum, cuiusve terminum, tendat tamen ad eius possibilitatem priuquam existere intellegatur præfata processio, & præcedere quidem, quasi origine, processionem per intellectum voluntatis actum docuit Scotus in 1. d. 6. quæstione 1. comitari vero illam asseruit Gregor ibi art. 3. Capreol. art. 1. concl. 6. art. 2. ad argumenta, Ferrara 4. contr. Gent. capite 11. §. *utrum autem*, Canar. 1. p. quæst. 41. art. 2. 3. p. Commentarij, ubi fauet S. Thom. & q. 2. de pot. art. 3. ad 2. utrumque autem negant Henric. art. 8. Summæ. q. 2. quodl. 5. q. 4. Gotfred. quodl. 5. q. 5. apud Scotum ubi proximè, Vazq. 1. p. d. 160. c. 4. Soar. 6. de Trinit. cap. 4. quibus assentior: quia processionem essentialiter existunt, neque considerari possunt, ut possibiles, nisi chymericè. Licet enim in nostra opinione non existant formaliter, & de se tam personalitas, quam intellectio, in quibus tota processio continetur; ac proinde concipi non concepta existentia possint, non tamen, ut possibiles, ad hoc enim opus est, ut concipiatur cum ordine ad existentiam non actualem. Eius autem existentia actualis essentialiter est, cum sit existentia naturæ diuinæ, quæ nequit ab actualitate præscindere. Nec refert propriori originis potentie notionalis non intelligi processionem, neque terminum existentes. Id enim non probat intelligi, ut possibiles, cum sit potentia necessaria, & determinata ad exercitium: quare cum eis, ut existentibus, pro posteriori comparatur, non, ut possibilibus. Denique conclusio nostra est expressa Augustini quæstione 7. ex lib. 65. quæstionum, dicens: *Patrem genuisse Filium neque voluntate, neque necessitate, coactione, neque actu voluntatis præcedente generationem.* Quibus similia habet 15. de Trinitate capite 20.

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo Uno & Trino:



QVÆSTIO IV.

Quo nam processionem ab essentialibus actibus differant?



DIVINAS processionem sine intellectus, & voluntatis diuinæ actibus esse non posse claret ex dictis. An verò actibus tribus Personis communibus, & essentialibus adæquatè, vel inadæquatè consistant: videntur nunc restat. Et quidem adæquatè eis non constitui processionem certissimum est. Alioqui sicut illis tres Personæ, & volunt. & intelligunt formaliter, ex omnes formaliter esset producere, quam intelligere, & velle in diuinis commune. Ut ergo intellectio, & volitio communis processio, seu productio in diuinis sit, aliquid, ut minimum, ipsis apponendum est, ut ex utroque processio, & actus notionalis constetur. Adhucque difficultas remanet: quo pacto id, quod productio de se non erat, ex alterius formaliter distincti adiunctione productionem, & processionem ingredi possit? quare processionem, etiam, quoad actus intelligendi, & volendi, fore videntur distinctæ: siue, quia alios actus intelligendi, & volendi proprios, & peculiare Personis producentibus includant: siue quia licet actus essentialis, & communes intelligendi, & volendi essentialiter supponant; aut processionem ipsæ essentialiter actus intelligendi, & volendi non sint formaliter. Atque his quidem omnes super hæc Quæstione discurrendi modos propofui de singulis per Certamina singula dicturus.

CERTAMEN I.

Scotus, & Recentiores impugnati.

1 Scotus in 1. d. quæstione 1. §. *Obiicitur*, & quæst. 4. ordine 7. post §. *Obiicitur contra* & d. 27. q. 1. asserit dictionem, seu generationem Filij actum intelligendi non claudere, sed esse ex æquo ab intellectu Dei diuersam, licet actus intellectus sit. Similiter quodlib. 4. §. *Hic intelligendum*, spirationem actum voluntatis esse actum, qui actus amoris non sit. Hanc sententiam edoctus videtur à suo Præceptore Alexandro Alesni 1. p. q. 42. m. 2. eamque docuisse Gabrielem 1. d. 7. q. 2. Quam ex nostris secutus est Molina 1. p. q. 27. art. 3. d. 4. Zunniga de Trinit. d. 2. dub. 7. m. 2. alique Complutenses Recentiores. Hi vero Scoto imponunt sensisse processionem has, neque intellectio, neque amorem supponere: cum tamen Scotus solum contendat diuinam processionem eos actus non claudere. Huc etiam ex parte appulit Henricus duplicem cognitionem in Deo distinguens, mediàmque dictionem interiaccere defendens. Cui fauent Carthus. in 1. d. 2. quæstione 6. post med. Argent. d. 10. quæstione vnic. art. 2. post med. Marfil. quæstione 14. art. 2. sub med. subdubijsque Ricardus d. 22. art. 1. quæstione 3. §. *Quantum ad secundum*. Quatenus autem processionem ab actibus intellectus, & voluntatis ex æquo præfati diuidunt Authores, consentire debet Durandus relatus quæstione 1. Cum enim asserat Personas diuinæ non per intellectum, & voluntatem, sed per naturam procedere: atque intellectio per intellectum, volitio autem per voluntatem solum esse possint: ab intellectu, & volitione processionem adæquatè distinctas defendere Durandus tenetur.

2 Præcipuum fundamentum est. Quod, scilicet, non possit additione personalitatis fieri actio intellectio communis, quæ de se actio non est, sed omnino cum Persona producta identificatur.

N 2 Quod

Quod ipsum de amore vrgent. Item quod August. dictionem ab intellectu diuersam necessariò esse defendit. Leue fundamentum in August. Nam, si aliud præter intellectum dictio claudit, ab ea formaliter differet, æquè, atque ab essentia. Pater: à Persona autem producta realiter differet non minus, quam Pater à Filio. Insuper modum, quo id quod productio de se non est alterius adiunctione in productionem euadat monstrabimus cert. 3. Nec solidiora sunt, quæ de suo Zynniga, & Recentiores pro hac sententia addiderunt. Sic enim arguunt. Processio Verbi diuini non ordinatur ad constituendum Deum intelligentem: ergo neque processio est intellectio. Antecedens patet. Quia si ordinaretur ad constituendum Deum intelligentem terminus eius deberet esse formalis intellectio diuina, quo formaliter Pater intelligeret. Id quod execrandum esse ait August. 15. de Trinit. c. 7. ex quo Scholastici reliqui. Consequentiam probant. Quia idem in creatis intellectio Verbi productionem intrat, quia, vel Verbum est ipsa intellectio, vt volunt Vazq. & Suar. locumque in Verbo diuino non habet, vt nuper dicebam, vel, quia est terminus intellectiois, sive quo intellectio esse non potest: sicut, neque alia quæuis actio sine suo termino, vt vult Molina q. 27. art. 1. disp. 3. memb. 3. & neque hoc dici potest; alioqui sublato per impossibile Verbo per locum intrinsecum Deus non maneret intelligens, quod est absurdum.

3. Frigida ratio. Fateor Verbum formaliter intellectioem non esse, aut neque ipsi, neque sanus aliquis Doctor negare possunt intellectioem diuinam necessariò, & essentialiter connecti cum Verbo: ac proinde illo sublato Deum artis, sapientie, & scientie inopem mansurum ad mundi effectioem arguunt frequenter Patres contra Arrianos, qui Verbum à diuinitate excludebant. Audiant Recentiores Nyssenum ab ipsis Valentia obiectum orat. catechet. c. 5. *Si dederint Verbum, seu rationem, & sapientiam non fuisse Ducem creationis, statuent. rationis, & artis egestatem fuisse in principio vniuersitatis. Si autem hoc constat esse absurdum, & impium, Verbum, & Sapientiam verum fatebuntur esse ducem.* Audiant insuper eundem epist. de imagine, & similitudine longè à me: *Si Deum Verbum negaris, dixerisque cum Deo, & Patre non esse rationis expertem, ac belluimum prædicaturus Deum.* Denique audiant Athanas. compend. de Spiritu S. sub init. in hæc aientem: *Nefarium esse dictu Deum sine Verbo, aut ratione fuisse: ne insipiens, & irrationalis habeatur.* Mitto plura alia ex Patribus, in eandem sententiam recitare: tum, quia valde sunt plurimum denique, quia recitata ad rem hanc, & aperta sunt, & satis esse videntur. Quod autem ipsi negare id nequeant, probo. Quia intellectio essentialis in horum opinione est principium quo processiois de se se: ergo habet prædicatum intrinsecum principij ad illam: ergo facta in possibili processioe illud prædicatum intrinsecum principij, quare, & ipsa intellectio essentialis, deficeret: sicut essentia diuina per locum intrinsecum deficeret facta impossibili personalitate, cuius principium, & radix intrinsecè est. Quæ respondere possent pro disparitate processiois, & principij inania satis esse constabit Cert. 3.

4. Sed vrgere putant rursus hoc dilemmate Recentiores; Vel intelligere est assimilatio formalis obiecti, quod quidem habeat Verbum: & sic nequit procedere intellectu: nam processio actiua, vt pote indistincta cum Patre non est Verbum, quod realiter à Patre differt, vel est assimilatio actiua: & ad hoc oporteret, vt terminus illa procedens esset assimilatio formalis obiecti, quod nequit habere Verbum per illam procedens, vt diximus. Egregia æquiuocatio. In prima parte dilemmatis supponitur Verbum esse formalem assimilationem obiecti, in secunda verd hoc ipsum infertur tanquam absurdum. Ne autem pueris deinceps illudant, respondeo. Intelligere esse assimilationem formalem, quo non habet Verbum: atque insuper assimilationem actiuam, non quidem alterius formalis assimilationis, sed obiectiue similitudinis, scilicet Verbi: Verum mireris magis, quod

sententiam hanc Sancti Thomæ opinionem esse contendant. p. q. 34. art. 1. ad 3. vbi ipsis referentibus sic habet: *Dicere importat principatiter habitudinem ad rem intellectam.* Ergo aliquid aliud præterea importat habitudinis ad obiectum, licet minus principaliter, ac proinde, & representatio esse potest illius. Impugnatur ergo Recentiores primò. Nam Filius procedit iuxta Patres omnes per intellectioem: sed, si processio intellectio non sit, nequit per intellectioem procedere: ergo processio non est actus ab intellectu adæquatè diuersus, sed saltem inadæquatè est intellectio. Minor probatur. Nam procedere per intellectioem denotat viam procedendi, non autem principium, vt Recentiores volunt. Pater: quia principium non particula per, sed particula ex denotatur. Vnde August. 15. de Trinit. c. 3. & Anselm. in monolog. asserunt Filium procedere ex memoria Patris: vbi denotatur principium processiois Filij: memoria autem iuxta eundem August. c. 10. & 12. est intellectus processiois speciei, non autem intellectio. Adde Basil. hom. 6. in 1. Ioann. dicentem: *Cur Verbum? ut quod ex mente procedit ostendat.*

5. Nec valet loqui hos Patres de principio remoto. Loquuntur enim de proximo, alioqui ex natura procedere æquè dicere possent, ac dicerent. Insuper Augustinus 15. de Trinit. c. 6. 13. & 14. immediatum principium processiois Verbi mentem & intellectum assignat: sicuti & Anselm. c. 45. monolog. Athanas. contra Gregal. S. bellij, Irenæ. lib. 2. c. 44. Sed ne longiora horum, atque aliorum testimonio recitemus audiendus est Cyrillus. Alexand. in Ioann. c. 5. ita in hanc rem scribens: *Filius appellatur Verbum, seu Sapientia: quoniam ex intellectu immediatè, atque indiuisibiliter est:* ergo admittunt intellectum in Patre formaliter ab intellectu distingui, atque esse Verbi principium productiuum: ergo cum intellectus sit è suo prædicato obiecti expressiuus, intellectus diuinus infinitus eam virtutem habebit: siquidem in eo signo proprio virtutis expressiue, melius illi est eam formaliter habere, quam non habere. Contra secundò: nam intellectio absque fundamento dicitur habere virtutem producendi aliquem actum, nisi forte amorem in quorundam opinione. Contra tertio: quia totum fundamentum est, quod non nisi imperfectè, ac Deo indignè dici possit, quod non fuerit præcognitum: ptytaci in morem, qui loquitur, quod nescit: atqui hoc solum probat intellectioem præsupponi obiectiue tanquam exemplar formale, quod locutio imitatur, non autem, vt principium, vt patet in locutione, & verbo externo: cui magis assimilari volunt Recentiores diuinum Verbum, quam nostro verbo interno: ad quod non influit actiue intellectu præsupposita, sed sola extrema loquendi facultas: ergo intellectio non erit Verbi diuini principium. Quo circa cordatior Scotus asserit totum huius dictionis principium actiuum in intellectu esse: cum enim stare potest, quod præsupponat obiectiue intellectioem.

6. Sed iam Scoti refutationibus impugnandi ex parte Recentiores sunt. Et primò: quia hi omnes id circo à processioe relegant actus communes intelligendi, & volendi, quia non capiunt, quomodo commune ex additione personalis posse esse processio. Sed æqua est difficultas, quomodo ex communi, & personali constitui possit principium proprium Personæ productiuis: ergo inaniter deterrantur. Adde iuxta Patres, quos cert. 3. dabimus, idem esse gignere Patri, & Verbo processioe, quod cogitare, & sapere, scire, & intelligere: ergo in processioe includitur saltem intellectio, sapientia, scientia, & cogitatio: ergo processio non est adæquatè ab intellectu diuersa. Tertio contra Scotum specialias: quia neque merge concipi potest actus proprius intellectus, qui intellectio formaliter non sit: sed dictio hæc in Scoti sententia est actus proprius intellectus: ergo est intellectio. Confirmatur primò: quia intellectio formaliter, vel est intellectus actio physica, vel grammaticalis, vt vult Scotus: sed dictio hæc est intellectus actio: ergo, & intellectio. Confirmatur secundò: quia ideo intellectio communis, & essentialis est intellectio, quia intellectus

intellectus actio physica, vel grammaticalis. Tolle enim hoc, & negabunt omnes actus intellectus intellectiōnem esse: sed dictio Scotica est intellectus actio: ergo, & est formaliter intellectio.

7 Denique Scotum, & Recentiores Patrum testimonii frangamus, qui Verbi dictionem intellectiōnem, & cogitationem esse expressis vocibus tradiderunt. Augustinus de Trinitate capite 10. de interno Verbo, & locutione ita habet. *Formata quippe cogitatio ab ea re, quam dicimus, Verbum est, quod nec Graecum est, nec Latinum. nec refert loqui Augustinum de Verbo creato: cum id dicat, ut explicet increati Verbi productionem, per cogitationem, scilicet, & intellectiōnem. Secundum cum verbi creati nomen ad diuinum fuerit translatum, in quibus imperfectio non inuoluitur, siue in suo esse, siue in sui formatione, creatum cum increato æquo gradu debet incedere. Sic ad rem nostram scripsit Fulgentius 3. ad Monim. c. 7. Sic de Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet: quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Et Anselmus c. 34. Monolog. Quoniam autem idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, siue dicere, necesse est, quod eodem modo sciat omnia, que scit, quo ea dicit, aut intelligit. Quid clarius? Sed accipite rursus Augustinus 15. de Trinitate c. 14. sic loquentem: Sciunt inuicem Pater, & Filius. Sed velle gignendo, esse nascendo: ergo in processione actiue, & passiue sumpta est intellectio, qua formaliter sciunt, vel intelligunt producens, & productum. Imò & Anselmum rursus ibidem audite: Quis neget summam sapientiam, cum se dicendo intelligat, gigneret consubstantiali sibi similitudinem? id est Verbum. Denique sapientiam genitam audiamus cum de sua processione loquitur ad Patrem: Et ego iam concepta eram. scilicet in mente Patris. Quid autem inter mentis conceptionem, & intellectiōnem interfit, nusquam reperio.*

CERTAMEN II.

Henricus, & Valentia notionalem ab essentiali cognitione ex æquo distinguentes confutantur.

1 **O** B hæc Patrum testimonia, atque difficultates indicatas contra essentiali, & communem cognitionem Henricus citatus cert. 1. n. 2. duas cognitiones in Deo adæquate distinguit: alteram simplicem, & communem, aliam discursiuam, viuatiorem, atque manifestatiuam obiectorum præcognitorum, propriamque Patris, qua Verbum, quod, qua tale, manifestatiuum obiectorum est, producat. Similiter duplicem amorem comminiscitur: alium simplicem, & communem, alium verò feruentiorem, & zæli, proprium Patris, & Filij, quo Spiritus sanctus procedat. Ceterum quatenus maiorem perfectionem vnus præ alio in cognitionis, & amoris actibus diuinis admittit Henricus, ipso sibi sensu abrogat fidem. Nam quiuis actus diuinus in suo genere infinite perfectus esse debet, & cui in illo genere nihil perfectionis possit deficere. Secundum pugnantia docet: dum perfectiorem secundum actum notionalem asserit, & tamen discursiuum affirmat, quod non solum perfectionem minorem, sed Deo indignam imperfectionem deuoluit. Tertium Pater, cuius propria est notionalis illa intellectio perfectior, perfectius Filio, & Spiritu sancto intelligit: Patetque, & Filius, qui soli feruentiore illo amore diligunt, perfectius amant. Idcirco Argentinus Marsilius Carthusianus, & Ricardus citati cert. 1. n. 1. actum notionalem essentiali perfectionem non admittunt: licet vtrumque actum cognitionis, & amoris ex æquo distinctum ab essentiali cognitione, & amore esse defendant cum Henrico: Horum sententiam admittit, atque illustrat Noster Valentia 1. p. disp. 2. punct. 3. s. ut igitur, quem nuper sectatus est noster Gaspar Hurtado d. 1. de Trinitate difficult. 4. §. Argentina verò; pluresque

Recentiores, in quibus, & nos eramus aliquando.

2 Impugnatur primum. Quia, vel notionalis intellectio provenit ab intellectu communi, vel ab alio notionali: & idem est de amore notionali. Si à notionaliter ergo in Patre est duplex formaliter intellectus, communis vnus, & personalis alius: atque in Patre item, & Filio duplex voluntas, communis vna, & notionalis alia: quod est commentitium, & absurdum. Si à communi intellectu addita Personalitate Patris provenit intellectio, quæ processio fit: ergo, & intellectio communis addita Patris personalitate poterit esse Verbi productio, cuiusque processio. Negabis consequentiam, quia ad perfectionem intellectus diuini pertinet esse generatiuum, ubi impeditum non sit: ac proinde cum Persona Patris, cum qua expeditus ad generationem est, erit generatiuus: licet, ut est, cum Persona Filij generatiuus non sit. Contra. Nam minus pertinet ad perfectionem diuinæ intellectiōnis generationem esse, quam ad perfectionem intellectus diuini esse generatiuum: ergo, ubi fuerit intellectio communis expedita cum personalitate Patris generatio erit. Negabis secundam consequentiam illam. Quia processio est actualis exercitium procedentis, & producentis: de essentia autem actualis exercitij est se ipso attingere terminum, & dicitur, aut intelligitur, cuius exercitium actuale est: unde, si intellectio se ipsa, & intrinsecè productio, & processio non est, nequit aduentu personalitatis Patris processio esse: quod secus euenit in intellectu, & quouis principio productiuo. Cum enim hoc non sit actuale exercitium agendi, neque se ipso essentialiter coniunctum cum termino, & principio, rectè potest terminum, quem de se non respicit, ratione alterius adiuncti respicere.

3 Contra tamen est. Quia, vel standum est legibus principiorum, & actionum creaturarum: & sic, sicut nequit actio esse alterius aduentu, quod actio de se non est: ita neque potest esse principium alterius aduentu, quod principium de se non est: si de principio formalis, seu potentia, non autem de principio quod loquamur. Sin autem standum sit in principio, & processionibus diuinis non legibus creaturarum, sed iuri (ut sic loquar) diuino, bene potest esse alterius aduentu actuale exercitium alicuius, quod sine illo, & de se solum actuale exercitium non est. Ecce diuina scientia sublati futuris actuale exercitium ea representandi non est: alioqui diuina scientia falsa esse posset, positus autem futuris actuale exercitium, eorumque representatio actualis est: ergo, & in nostro casu quod processio actualis se solo non est, alterius aduentu processio actualis poterit esse. Ratio autem huius discriminis inter creatura, & increata exercitia actualia desumitur ex limitatione simpliciter creatorum, & ex infinitate atque illimitatione simpliciter increatorum. De huius quippe ratione est, ut quidquid simpliciter simplex perfectio sit in sua linea, perfectionemque, sine imperfectione importet, tribui ipsi debeat: unde, cum cognitioni diuinæ imperfectio non sit se ipsa ad obiecta creata, ubi primum sunt, extendit, se ipsa est illorum representatio, atque sine perfectionis additione ad representanda ipsa, si ponuntur, extenditur. Atque ad rem nostram: eademmet intellectio, licet ablata Personalitate Patris, processio actiua Verbi non sit; aduentu tamen illius eademmet intellectio inuariata in ratione intellectiōnis processio, & generatio est: quia in eo prædicato nulla inuoluitur intellectiōnis diuinæ imperfectio, sed potius perfectio summa, ut patet; sicut, & in eo, quod intellectus diuinus generatiuus sit ex adiunctione Personalitatis eiusdem, nulla ipsius imperfectio, sed potius summa perfectio importatur.

4 Argumentor secundum ab absurdis. Quia in hac opinione Pater beatus esset beatitudine non solum essentiali, & communi Filio, & Spiritui sancto, sed alia propria, & personali notionalis intellectiōnis, qua Filius, & Spiritus sanctus beati non essent, quod est absurdum valde. Secundum: Pater, & Filius haberent actus virtutum v.g. misericordie, iustitie, &c. quos Spiritus sanctus non haberet. Patet vtrumque absurdum. Quia volitio,

& intellectio notionalis æque perfecta, & infinita in suo genere esse debent, atque essentialis, cum sint diuina: ac proinde ad intelligibilia, & volibilia omnia debent extendi. Tertio: cum volitio illa notionalis propria Patris, & Filij æque virtutis, & efficacia sit, atque essentialis: & neque ipsa neque eius vsus sit Spiritus sancti: Pater, & Filius specialiter mundi conditores, seruatores, gubernatores, electores ad gratiam, & gloriam &c. forent: Id quod in Henrici opinionis temerarium reputat Valentia ipse 1. p. q. 2. pun. 3. Dices: volitionem hanc ad creatura solum per modum complacentia extendi: cum essentialis volitio ad efficaciam sufficiat. Contra primo: quia saltem specialiore complacentiam in Patre, & Filio circa diuina dona æque absurde admittes. Contra secundo: quia nulla ratio assignabitur cur notionalis volitio æque perfecta, atque essentialis, efficaciam non habeat circa creatura, quam habet essentialis volitio. Si enim simpliciter simplex perfectio ea efficacia in volitione sit, in vtraque volitione, vt pote diuina, admitti debet, si autem non sit, in neutra potest admitti.

5 Arguo tertio ex August. 7. de Trinit. c. 2. sub. in. quia in diuinis, sicut ille ait, *sapientia essentialiter intelligitur solum*: sed si detur intellectio notionalis in diuinis non intelligitur sapientia essentialiter solum, sed notionaliter: ergo non datur intellectio notionalis distincta ab essentiali in diuinis. Confirmatur: quia Pater, & Filius sunt vna, eademque sapientia: sed si detur intellectio notionalis non erunt vna eademque sapientia, sed alia sapientia erit Pater: ergo non datur notionalis intellectio. Maior est August. 7. de Trinit. capite 3. ante med. *Singulus*, inquit, *Pater Deus, & singulus Filius*: ergo, & *singulus Pater sapientia, & singulus Filius sapientia, & vterque vna sapientia*. Est etiam doctrina Cyrilli, & Synodi Alexandrinae tom. 1. in Concil. Ephesin. c. 14. epist. ad Nestor. col. 7. Anselmi cap. 48. monolog. fin. & sanè, vt bene notat S. Thom. p. q. 37. art. 1. corp. & art. 2. ad 1. sapere, & intelligere non sumitur in diuinis notionaliter, sed essentialiter; sumeretur autem notionaliter, si notionalis intellectio ab essentiali diuersa in diuinis esset. Confirmatur secundo: quia notionalis intellectio, qua intellectio præcisè, relatiua non est, vt sic enim non dicit principij, & termini respectum, sed solum obiecti representationem: ergo respectus principij ad terminum principium non est in intellectu, etiam notionali, quatenus cognitio est, sed ex adiuncto prædicato notionalis: ergo, qua intellectio præcisè, processio non est, sicut neque processio est essentialis intellectio, à qua in ratione intellectionis nulla formalitate discordat. Infero secundo: ergo adiuncto prædicato principij, seu personalitate Patris, intellectio communis fieri potest notionalis intellectio, actusque notionalis: ac proinde processio actiua sine additione notionalis intellectionis alterius. Quæ omnia sua proportionem contra actum amoris notionalis facillè vnusquisque deducet.

6 Quarto denique efficaciter argumentor cum Suarezio. Quia actus intellectionis essentialis, qua diuinus, summè perfectus esse debet: ergo est, tam, quoad cognoscibilem extensionem, quam, quoad modum cognoscibilitatis eorum summa, & perfectissima representatio: ergo in linea cognoscendi, & intelligendi omnem habet rationem representationis extra eam, quam habeat essentialis intellectio, est impossibilis. Patet: quia, si possibilis alia esset intellectio, communis non haberet omnem rationem representationis, neque esset summa, & infinita simpliciter intellectio: cum illa representatio, quæ extra representatio intellectionis essentialis in notionali esset, seclusa ratione differentiali notionalis, esset perfectio in genere representationis: ergo prædicatum intellectionis ultra communem, & essentialem est in diuinis impossibile. Confirmatur: quia, vel illa ratio representationis intellectiua reperta in notionali intellectionale est perfectio in linea intellectionis, vel non?

Si est perfectio in essentiali debet esse ob rationem datam: & quia ea deficeret Filio, & Spiritui sancto, qui, sicut non producent, ita nec notionaliter intelligunt. Dices primo esse perfectionem relatiuam. Præclusum autem id est n. 5. confirmat. 2. Rursusque præcluditur: quia ratio omnis intellectionis, etiam in notionali, formaliter ab intellectu communi prouenit: cum Aduersarij intellectum notionalem non admittant. Dices secundo intellectionem essentialem includi in alia notionali, essentialiterque contrahi per prædicatum intellectionis notionalis: non secus atque scientia essentialiter differentis practici, & speculatiui contrahitur. Sed contra primo: quia quicquid intellectionis supra essentialem addat notionalis intellectio proximi impugnationem essentialem includit in alia notionali, essentialiterque contrahi per prædicatum intellectionis notionalis: non secus atque processioem, quod vitare intendebas. Contra tertio: quia practicum, & speculatum accidentales solum differentis in scientiis sunt, vt satis multis ostendebamus controu. 1. Logicæ d. 3. quaestione 3. & in controuersis de anima.

CERTAMEN III.

Communis, & vera sententia, actus notionalis ex essentialibus, & personalitatibus constituens, illustratur.

1 PRæfixam conclusionem tradit S. Thom. proximè, & q. 27. art. 5. Canar. Vazq. Suarez. reliquique Interpretes Diui Thomæ, refert, & sequitur Ruiz d. 59. lect. 1. n. 15. & lect. 4. n. 8. Item Arrubal. r. p. d. 97. c. 3. Luis Torres d. 1. dubio 3. Becan. c. 1. Tanner d. 4. q. 2. dubio 13. n. 11. Merarius d. 43. Alarcon d. 8. c. 4. à n. 8. Granad. tract. 1. de Trinit. d. 3. lect. 3. Albiz. d. 1. lect. 9. & d. 12. lect. 6. Albertin. corol. 12. in prædicamentum ad aliquid, n. 9. Erice manuscripto de Trinit. In his verò tribus extremis displicet, quod distinguunt rationem influxus, & productionis à ratione communicationis processionum, productionem, quæ in linea agendi est à personalitate prouenire dicant; communicationem autem, quam in genere formalis identifications naturæ cum Personalitate producta existimant esse, intellectioni, & amoris communi, & essentiali competere affirmant: licet, quia communicatio sine distinctione communicantis, & eius, cui communicatur esse non potest, intellectio, & volitio essentialis connotent personalitates, quibus distinguuntur producens, & procedens: & quia productio, seu processio diuina, cum sit productio, & influxus in Personam procedentem in naturæ identitatem, connotet intellectionem Patris, quæ Personæ secundæ priuati communicatur, & in vtraque amorem, qui primario communicatur Spiritui sancto. Mitto, quod, ex satis impugnatione, supponant primario communicari Verbo intellectionem &c. ostenditque iuxta hanc doctrinam non magis procedere Personas procedentes per intellectionem, & amorem formaliter, quam per naturam. Quia ad processionem requiritur formaliter communicatio formalis per identitatem: ergo quæcumque in diuinis eam habent communicationem, necessarii sunt ad Personæ procedentis integritatem, formaliter ingrediuntur processionem: sed natura, & prædicatum entis, & substantiæ à se eam habent communicationem formalem, & necessariam ad integram constitutionem Personæ procedentis; & primario quidem illam habent; cum sint prædicata primaria: ergo primario processionem ingrediuntur: ac proinde Personæ procedent formaliter immediate, & primario per naturam. In ratione hac penetrata præcluse eius solutiones inueniuntur.

2 Hæc ab inconsequentia. Iam absolute eadem pars impugnatur argumento Durandi in 1. d. 7. q. 1. n. 25. eam doctrinam

doctrinam ex antiquioribus aliis referentis, & confu-
tantis. Communicatio essentia; & communium Patris
ad Filium per processionem formaliter est actiua; sed
communicatio formalis essentia; & communium per
formalem identitatem actiua non est: ergo commu-
nicatio formalis prædicta non est communicatio per
processionem formaliter. Minor est certa, & ex termin-
nis nota. Nam, sicut communicatio formæ ad materiam
per vnionem solum est communicatio inhærensionis for-
malis: ita, & communicatio essentia; ad personalitatem
per vnionem identitatis formalis erit, licet in eo genere
intimior. Confirmatur: quia eodem modo se communi-
cat essentia per formalem identitatem cum Persona Pa-
tris, in qua nullum actiua; communicationis vestigium
est; atque se communicat cum Persona Filij. Maior est
inter Scholasticos communis. Ita Bonau. in 1. d. 5. art. 2. q.
2. Aureol. art. 4. Scot. q. 1. §. *Ad argumentum*, cum suis.
Marfil. q. 9. art. 2. Et probatur primò: quia ex eo dicitur
vniens in generatione communicare actiua; animam ma-
teriaz, quia eam producit vniat materiaz: sed Pater per
processionem producit personalitatem Filij identicè
vniat naturæ, & communibus: ergo actiua; communi-
cat personalitatem naturæ; & communibus per proces-
sionem. Probatur secundò: communicatio naturæ ad Filium
ad Patre, originis, & notionalis est: sed communi-
catio formalis naturæ cum filiatione, & Filio originis, &
notionalis non est: ergo vltra communicationem for-
malem identitatis aliud genus communicationis naturæ
ad Patre per processionem inuenitur, scilicet communi-
cationis actiua;. Minor constat: quia inuenitur eadem for-
malis communicatio naturæ ad Personalitatem Patris
identicè, cuius respectu notionalis communicatio non
est, neque originis: imò, licet Filius à Patre non procede-
ret, neque esset originalis communicatio, manente identi-
tate ipsius cum natura, & communibus, formalis com-
municatio perseveraret.

3 Dices non esse alium modum communicandi
actiua; naturam nisi per identitatem formalem, quæ si
deesset communicatio naturæ à Patre processionem esse
impossibilem. æquiuocationem detego. Nisi esset vnio
formæ ad materiam, non esset possibilem communicatio
actiua; formæ ad materiam ab agente: ergo ea commu-
nicatio formalis per vnionem intrat communicationem
actiua; agentis. Est dicere: nisi esset terminus actionis
non esset actio: ergo terminus actionis ingreditur for-
maliter essentiam actionis: itaque identitas naturæ cum
personalitate producta ponitur per processionem tan-
quam terminus illius: ac proinde ea facta impossibili
impossibilis processio foret; non minus, quam facta im-
possibilis Filij personalitate, quæ alter formalis terminus
processionis est, processio esset impossibilis: non qui-
dem defectu formalitatis intrinsecæ processionis, sed
termini, cuius actuale exercitium processio est. Sed
quid inde? An licet inferre personalitatem productam
formaliter, processionem intrinsecè constituere? Mini-
mè: ergo neque licet inferre communicationem for-
malem ingredi actiua; processionis communi-
cationem.

4 Res ergo hæc facilius explicabitur. Vt intel-
lectio, & amor de se generatiua, & spiratiua, siue ge-
nerationis, & spirationis exercitium formale eminenti-
ale, vbi ad sit distinctiua à Persona genita, & spirata,
ipsæque functi suo munere non fuerint generatio, &
spiratio sint. Quo fit, vt adiuncta identicè Personalitate
Patris, vt præcedit origine Verbum genitum, intel-
lectio actiua processio fit, & generatio: adiuncta au-
tem personalitate Verbi generatio formaliter non fit,
quia iam suo munere functa & quasi cetera est. Cum
autem adiuncto amore vtriusque personalitati sufficiens
distinctiua ad sit principij spirantis à persona spiran-
da, nempe Spiritu sancto (quæ sua characteristica pro-
prietate aduabus Personis distingui, & oriri debet): at-
que alio ex capite nondum amor fuerit munere, & exer-
cicio spirationis functus, spiratio actiua est: posita au-
tem Persona spirata per ipsum, prout amor eum illa

identificatur, vacuus, atque suo munere functus; effec-
tūque ad exercitium spirandi intelligitur. Hæc porro,
licet difficilia percepta sint, erunt tamen ab aduersariis
in principio processionis deneganda, vt videbamus
cert. 2. n. 2. atque exemplo scientia; diuinæ circa creaturas
præsertim futuras, & volitionis, siue efficacis, siue sim-
plicis complacentie circa ipsas, satis illustratur, atque
emollitur. Nam eiusmodi scientia, & volitio, licet de
se actualia exercitia intelligendi, & amandi futura sint,
id tamen ob sui eminentiam habent, vt si ea non fue-
rint futura, nec representent, neque ament. Sic intel-
lectio, quæ se sola processio actiua non est defectu
distinctiua; producentis & precedentis Personæ,
aduente distinctiua; processio esse potest. Neque ali-
quod deficiet vestigium in creatis: nam quemadmo-
dum iudicium idem, quod de se solum practicum non
est, tamen aduentu imperij extrinseci voluntatis practi-
cum, & actiuum est; ita etiam in casu nostro.

5 Porro contra sic explicatam sententiam nihil
inuenio, quod acriter pugnet. Indicabo tamen capitā
impugnationum, ne Auditores neuitate postmodum
turbent. Obiiciunt primò. Origines, & processionem
formaliter ex parte obiecti idem, atque Paternitas, &
Filiatio sunt, atque vniuersim idem, quod relationes
saltem fundamentaliter sumptæ: sed in paternitate,
& relationibus fundamentaliter sumptis nihil commu-
ne includitur: cum eis, vel formaliter, vel fundamen-
tallyter Personæ distinguantur: ergo neque in intellectu
communis ingreditur processionem, neque communis
amor. Concedo cum omnibus maiorem, & distingo
minorem. In paternitate, & relationibus adæquate
sumptis nihil commune inuenitur, nego minorem;
ostendi enim q. 2. cert. vltim. Paternitatem, & Filiatio-
nem siue formaliter, siue fundamentaliter includere
de suo conceptu naturam communem; cum similitudi-
nem in illa includat, & idem est de spiratione: dicit
enim immanentiam per identitatem naturæ Personæ
precedentis in producente. Hinc eneruata manet
secunda obiectio. Vel Personalitas adiuncta cognitioni es-
sentiali est respectus producentis ad productum, vel
non? Si non est respectus: ergo ea addita non est consti-
tuta processio intellectio, quæ de se respectus non est,
sed potius communis ratio identificata cum producto;
& producente. si est respectus producentis: ergo sola
personalitas est productio, & processio. Patet conse-
quentia: nam integer conceptus actionis, seu processio-
nis est esse respectum producentis ad terminum pro-
ductum. Conuincuntur autem Recentes: des-
peratæque nostrorū solutione sese acuit, vt id pro nobis
respondeant, quod facile impugnent. Respondeo tamen,
quod impugnent difficilior. Nempe: Personalitatem non
asserre formaliter respectū, sed distinctiua; productis à
Persona producta: vt, quod defectu distinctiui processio,
& respectus exercitè nō erat, processio, & respectus exer-
citè ex personalitatis adiunctione fit. Sic in constitutione
potentiæ notionalis admittere ipsi, atque omnes debent
personalitate sola non asserri efficaciam, & virtutem pro-
ductiuam absolute communibus: & tamen communia
personalitate constitui in ratione potentiæ, & princi-
piij notionalis: quia, vt d. sequenti dicemus, personalitas
asserit distinctiua; producentis à producto naturæ,
& reliquis communibus, cum quibus potentiam notio-
nalem constituit.

6 Vrgentius impugnabam Vazquianos, cum olim
ab opinione Valentia; starem ex alia Vazq. doctrina.
Nam, si cognitio essentialis intrat processionem Filij,
inferri videtur Filium non procedere per se quarto
modo ex cognitione sui, & Patris, vel procedere ex
cognitione etiam Spiritus sancti. Etenim si procedit per
cognitionem essentialem: ergo quod fuerit specifica-
tuum per se quarto modo intellectio essentialis erit
obiectum per se quarto modo productionis Verbi. Vel
ergo essentia sola est specificatum per se quarto mo-
do intellectio essentialis (vt sæpe Vazq. docet) & sic
Verbum non procedit per se quarto modo ex cognitione
sui.

sui, & Patris, vel est specificatiuum, & obiectum quarto modo per se intellectiois essentialis essentia cum omnibus, quæ ipsi identificantur: & sic ex omnium Personarum cognitione, ac proinde, Spiritus etiam sancti, quarto modo per se Verbum procedet: quandoquidem Persona Spiritus sancti æquæ, atque Persona Patris, & Filij identificatur cum essentia. In primis non me tangit obiectio, vt d. 5. videbimus. Sed neque Vazq. nimis arctè premit. Nam aliud est obiecta per se requiri ad perfectionem essentialis cognitionis; aliud requiri ad rationem productionis, quæ in ipsa est. Ad primum requiri admittet fortasse Vazq. vt ad omnia identificata cum essentia terminetur essentialis cognitio ob perfectionem cognitionis, & Dei cognoscens ad rationem autem productionis requiri negabit. Sicut de præfessione infallibilis scientiæ mediæ ad decretum conferendi auxilium efficax ad bona nostra opera; respondebat Erice: requiri quidem eiusmodi præfessionem infallibilis scientiæ mediæ ex perfectione operantis, non autem ex indigentia consensus nostri in opera bona. An verò solutio hæc in Societatis principis nostri operis libertas saluetur, alterius est, & temporis, & loci.



QVÆSTIO V.

An processiones actiua à passiuis distinguantur?



Formali distinctione quæstio non procedit. Si enim, iuxta vulgarem Philosophiam, actio formaliter à passione differat, & si realiter identificentur, distinctioni formali processionis actiua à passiuâ locus erit. Quam Philosophiam, licet minime probent, imò multis ex Arist. & ratione apud Physicos suadeam, totam actionis à passione distinctionem non ex parte formalitatis obiectæ, quæ vniuersa est, sed modi nostri concipiendi se tenere, nenas philosophicas facili prætereo, dum nos grauiora theologica vocant. De distinctione igitur reali actiua processionis à passiuâ inquiratur. Sciri quidem dignum, licet non tanti ponderis, quanti esse volunt Doctores nonnulli, qui semper ad aliorum censuras sunt in procinctu. Quæ res ad eum ad malè censuratas ab illis opiniones tutandas ira, an pietas impellit, vt ferè ingenuum alioqui, atque officiosum erga veritatem animum, à vero ad probabile dimoueat.

CERTAMEN I.

Nil censura dignum præstant, qui actiuas à passiuis processionibus realiter non distinguunt.

Vulgò actiuas processiones à passiuis distinguunt Theologi. Molin. 1. p. 40. art. 2. d. 2. m. 3. atque eo art. Vazq. cursim; Granad. tract. 2. disp. 3. sect. 1. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 5. refertur pro ea Zunniga d. 2. à dub. 14. m. 2. vique ad 17. dub. de qua nihil sibi scripsit, quin dub. 16. m. 1. contrarium insinuat. Cæterum oppositam sententiam temerariam, errorique obnoxiam censet Ruiz d. 84. sect. 1. 2. & 3. n. 10. Albiz verò d. 1. sect. 2. vt temeritatis illam non notet, à temeritate verò liberare non audet. Ausus autem fuit illam ab omni censura liberare Pater Suar. 6. de Trinit. c. 7. & ipse non parum ad aliorum censuras procliuus. Et iure quidem optimo: cum ex antiquis plures eam tradiderint opinionem, quos presso nomine refert Aurcol. in 1. d. 17. art. 2. §. Opinio com-

munis. & art. 3. init. aliique nominati apud nostrum Albertin. corol. 12. ad prædicamentum ad aliquid, vbi eandem opinionem amplectitur. Eam in super insinuasse nostrum Zunnigam nuper dicebamus. Sed videamus quibus tandem fundamentis tam acri censura contra hanc opinionem inuechatur Ruiz. Opponit sect. 1. Patres asserentes. Patrem ingentiuè habere essentiam; Filium verò genitiuè. Postèrque obicere August. dicentem. Sciunt inuicem Pater, & Filius: sed ille gignendo, ipse nascendo. Nihil momenti in his testimoniis reperio. Nam, siue processio actiua identificetur cum passiuâ; siue non, siue vtraque sit in Persona procedente, siue in producente, verum est communia omnia in Patre esse non accepta per processionem, & generationem, id est ingentiuè; in Filio autem esse illa omnia per generationem accepta. Insuper: cum Pater mediâ intellectiois, & scientia generet, sciet gignendo Pater, sciet etiam nascendo Filius, siue generatio actiua cum passiuâ identificetur, siue non.

2. Opponit rursus Patres alios asserentes: proprietatem Patris esse, quod sit ingentiuè: ergo generatio proprietatis Filij est, actiua verò Patris. Sed proprietatis Patris realiter distinguitur à proprietate Filij: ergo generatio actiua realiter à passiuâ distinguitur. In primis ratio ingentiuè formaliter actiua generatio non est in vera, & ipsius Ruiz opinio: vnde, neque ex eo, quod ratio ingentiuè realiter cum proprietate Patris identificetur, infertur generationem actiuam cum Patris proprietate identificari. Hinc, licet Filij proprietatis sit realis generatio, tam actiua, quam passiuâ iuxta vulgarem Philosophiam de actione & passione creatiua, non infertur prima consequentia. Secundo, & si identificetur generatio actiua, & passiuâ cum ingentiuera Patris, ac proinde proprietatis Patris intrinseca vtraque processio sit, erit proprietatis Filij genitium effectum non quidem ita, vt generatio passiuâ in Filio intrinsecè sit, sed ita, vt proprietatis, quæ Filij est, sit genita vt quod, essentialiter, & intrinsecè; vt quo autem extrinsecè à generatione, quæ est in Patre. Sicut in opinione, quæ actionem, & passionem identificatas ex parte agentis ponit ab ea actione, & passione, quæ ex parte agentis se tenet, tanquam à forma extrinseca effectum fieri docet, vt quo, licet vt, quod, essentialiter, & intrinsecè sit factus: quia videlicet à se non est, neque esse potest: vnde non potest non hac, vel illa actione in suo effectum fieri, & ab agente pendere. In quo à Filio æterno (qui alia generatione, aut processione, quam hac numero quæ Patri identificatur, procedere nequit) creatus est, factus discordat.

3. Refert sect. 2. Patres alios asserentes Patrem distinguunt à Filio, quod ille generat; hic generatur. Et rursus: quia gignere, & gigni differunt: ergo, quia generatio actiua & passiuâ realiter distinguuntur: quandoquidem secundum eas rationes realis distinctio Patris, & Filij statuitur à Patribus; nequitque per id, quod re ipsa idem est, distinctio realis Personarum induci. Respondetur Patres hosce contra hæreticos pro diuersitate, & distinctione Personarum pugnasse. Quam autem infirmè ex reali distinctione actiua processionis, seu generationis à passiuâ id probarent, viderit facile, qui Aristotelem, & Philosophos legerit, docentes, passim actionem re ipsa à passione non distingui. Solum ergo volunt distinguunt, quia generatio distinctionem generantis, & geniti necessariò, vel supponit, siue actiua siue passiuâ; non autem, quia generatio actiua, vel passiuâ eam formaliter in ipsis ponant, tanquam eorum distinctiua, vt de constitutione Personarum agentes ostendemus. Inducit quartò Concilium Lugdunense relatum c. vnic. de summ. Trinit. in 6. & Concil. Florentin. sess. 25. Eugeniumque 4. in litteris vnionis vbi aiunt: Spiritum sanctum à Patre, & Filio tanquam ab unico principio, & per vnica spirationem procedere. Cum autem his esset, an duæ spirationes actiua in Patre, & Filio forent? definiendo vnica esse in vtroque actiuam spirationem cum Patre, & Filio identificari definiunt. Sed cito: id definiatur.